

DESCRIPTIO SACRI CASINI MONTIS.

(MABILL. *Annal. Bened.*, t. II.)

Mons Casinus in duos scinditur vertices, ceu geminos montes : unum eminentiorem ad Septentrionem, cui Cairus vocabulum, ubi nulla aedificia; alterum paulo depressiorem, Casium dictum, in quo visum est. Ad hunc montem ad tria fere millia per sinuosos tramites patet ascensus. Ubi ad primam portam perveneris, occurrit subobscurus fornix, ex quo quadraginta gradibus ascenditur ad primam aream, quadratis stratam lapidibus, porticibusque ornatam. Inde in basilicæ atrium, columnis et stultis insigne, per totidem fere gradus, ac demum in ipsam basilicam subitur. In hac quadriporticu exstant statuæ summorum pontificum et episcoporum, e Casinate monasterio eductorum; tum ex una parte ecclesiastici, ex alia sæculares benefactores. Ad portam ecclesiæ uterque parens sancti Benedicti exhibetur cum columna ex lapide serpentino, cui impositum fuisse tradunt Apollinis simulacrum quod comminuit beatissimus pater. Ecclesia, ut in loco angusto, ampla et eximia; cujus bipalentes portæ majoris valvæ ex ære, in quibus universas Casinatum possessiones Desiderius abbas, is qui postea Victor III dictus est, litteris argenteis describi curavit. Ex utroque navis latere octo sunt omnino sacella cum suis convexis hemisphæris. Choris navi supereminet pone majus altare, ab Alexandro II consecratum. Hinc Vidi Feramoscæ, inde Petri Me-

monasterium positum est. Sed quoniam hujus montis fastigium angustius erat, quam ut omnes regulares ædes posset capere, monasterium totum in triplici planitie triplicique concameratione constituere dicei mausolea. Sub principe ara et choro jacet crypta cum ara sancti Benedicti, duabusque aliis, sancto Placido et sancto Mauro nuncupatis. Ibidem sella pertusa ex porphyritide visitur, forte balnearia, cujus generis sellam veteres *sotium* appellabant. Ad dextram ecclesiæ, qua meridiem spectat, consistunt regulares ædes; capitulum cum adjuncta bibliotheca, atrium seu claustrum, eique adhærens rectorium: dormitoria, ædes abbatis et hospitem nobilium, desinentes in turrim, eam ipsam, ut creditur, quam sanctus Benedictus inhabitavit, insigni oratorio et picturis exquisitissimis ornatam. Ad frontem ecclesiæ exstat dormitorium novitiorum: cui adhæret Sanctæ Annæ ædicula, in qua monachorum conditorium est. Ad sinistram ecclesiæ partem habetur vetus sancti Martini ædicula, in qua sepeliuntur pauperes peregrini, quorum hospitium et nosocomium ex eadem parte ad primum atrium conspiciuntur. Hæc de recentiori monasterii statu. Ad radices montis situm est oppidum sancti Germani cum altero monasterio et palatio abbatiali; nec multum procul antiqua Casini civitas cum reliquiis veteris amphitheatri.

ANNO DOMINI MCXXXIX-MCXLII

FALCONIS BENEVENTANI CHRONICON

(MURATORI, *Rerum Italicarum scriptores*, tom. V, p. 179. Mediolani 1723.)

ANTONII CARACCIOLI PRÆFATIO.

Falco notarius et sacri palatii scriba fuit, atque ab Innocentio II. P. M. ob fidei constantiam, qua pontificias partes in maximis illis turbis tutatus fuerat, judex suæ patriæ renuntiatus est. Hoc vero Chronico, quod ab anno 1102 ad 1140 producit, res sui temporis, easque præcipue quæ Beneventi contigerunt, adeo fuse et accurate describit, ut tibi, lector non legere, sed præsens esse videaris. Et nisi te

C stylus, barbarie horridus, arceat, cætera abs te laudatum iri Falconem, nullus dubito. Baronio sane, et Gordonio is placuisse videtur: quippe qui et calamo exceptum habuerint, et non semel ille in Annalibus, iste in Operis chronologici posteriore tomo citaverint. Hoc igitur et tu, sudiose lector, nunc primum aspiciente lucem, per me fruire et vale.

MONITUM CAMILLI PEREGRINI.

Incultus, et semi quamvis barbarus, qui nunc recensendus mihi superest antiquus chronologus Falco, nostratum nihilominus historicorum mediæ ætatis ob fidelem, nec prorsus ineptam diligentiam facile princeps, munere, ut ipse de se tradit ad an. 1133 et 1157 Notarius et scriba sacri Beneventani palatii, tandemque sua in eadem patria urbe judex, Chronicon, quod nunc principio et fine mutilum habetur, exorsus ab anno mihi quandoque est visus 1077, in quo Beneventanorum principum Langobardorum, deficiente in Landulfo VI successione regi

D ea civitas cœpit a Romano pontifice per præfectos, vulgo tunc dictos *Rectores*: post cujus principis obitum (inquit anonymus Sanctæ Sophiæ part. III num. 15) *recta est civitas per Romanam Ecclesiam*; namque in ejus demum devenerat potestatem ex causa exposita ab Ostiensi lib. II, cap. 83, mihi que ad Anonymum Cassin. ad an. 1051 cursim delibata. At cur ita putarem, in causa erat ipsius Falconis acephalus textus; qui ante omnia sermone abrupto præfert Beneventanos fere centum viros tum nobiles, tum honesto loco natos, quos *bonos homines ipse*